

Prove di ammissione 2012-13

Latino I prova

Gellio, *Noctes Atticae* XII 2, 1-10

Il candidato traduca in lingua italiana il seguente testo e sviluppi un breve commento avendo come traccia i seguenti argomenti:

- la critica letteraria nella cultura latina;
- il giudizio sullo stile, legato all'uso retorico della lingua;
- l'evoluzione del gusto nella lingua poetica (da Ennio e Cicerone a Virgilio e oltre);
- il significato e il valore della citazione enniana nel testo di Gellio, che costituisce un frammento dei perduti *Annales*.

Quod Annaeus Seneca iudicans de Q. Ennio deque M. Tullio leui futilique iudicio fuit.

De Annaeo Seneca partim existimant ut de scriptore minime utili, cuius libros adtingere nullum pretium operae sit, quod oratio eius uulgaria uideatur et protrita, res atque sententiae aut inepto inanique impetu sint aut leui et caesidicali argutia, eruditio autem uernacula et plebeia nihilque ex ueterum scriptis habens neque gratiae neque dignitatis. Alii uero elegantiae quidem in uerbis parum esse non infitias eunt, sed et rerum, quas dicat, scientiam doctrinamque ei non deesse dicunt et in uitis morum obiurgandis seueritatem grauitatemque non inuenustam. Mihi de omni eius ingenio deque omni scripto iudicium censuramque facere non necessum est; sed quod de M. Cicerone et Q. Ennio et P. Vergilio iudicauit, ea res cuiusmodi sit, ad considerandum ponemus. In libro enim uicesimo secundo epistularum moralium, quas ad Lucilium composuit, deridiculos uersus Q. Ennium de Cetego antiquo uiro fecisse hos dicit:

is dictust ollis popularibus olim,
qui tum uiuebant homines atque aeuum agitabant,
flos delibatus populi Suada<eque> medulla.

Ac deinde scribit de isdem uersibus uerba haec: 'Admiror eloquentissimos uiros et deditos Ennio pro optimis ridicula laudasse. Cicero certe inter bonos eius uersus et hos refert.' Atque id etiam de Cicerone dicit: 'Non miror' inquit 'fuisse, qui hos uersus scriberet, cum fuerit, qui laudaret; nisi forte Cicero summus orator agebat causam suam et uolebat suos uersus uideri bonos.' Postea hoc etiam addidit insulsissime: 'Aput ipsum quoque' inquit 'Ciceronem inuenies etiam in prosa oratione quaedam, ex quibus intellegas illum non perdidisse operam, quod Ennium legit.' [...] Atque ibi homo nugator Ciceronis errores deprecatur et 'non fuit' inquit 'Ciceronis hoc uitium, sed temporis; necesse erat haec dici, cum illa legerentur.' [...] De Vergilio quoque eodem in loco uerba haec ponit: 'Vergilius quoque noster non ex alia causa duos quosdam uersus et enormes et aliquid supra mensuram trahentis interposuit, quam ut Ennianus populus agnosceret in nouo carmine aliquid antiquitatis.'